



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-642692-p0001-6

DFG



DISPUTATIO  
JURIDICA  
Ad L. 2. Cod.

De Rescindenda  
Venditione,

*Quam*

J E S U Benigno Duce,  
Permissu & Auctoritate Amplissimæ Facultatis  
Juridicæ in Alma Lipsiensi,

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS Born/ J. V. D.

*Placidæ disquisitioni subjicit*  
CASPARUS Brandes/ Halber-  
stadensis,

In Auditorio JCtorum,  
Ad diem 22. Mens. Octobr. horis consuetis

ANNI

M. D C. XXIX.

---

*Typis exscribebat GREGORIUS Rißsch.*

365


~~XXIV.~~

1629, 11

9

4





IN NOMINE DOMINI NO-  
STRI JESU CHRISTI.

THESES I.



Ntequam rem ipsam aggrediamur, præmittendum putamus, vocabulum rescindere varie in Jure nostro sumi; idque pro ratione objectorum. Sic namque judicium dicitur rescindi, id est, finiri. I. quoties 47. §. si creditor 3. ff. de pecul. Et usucatio §. rursus. §. item si quis.

Inst. de Act. Nec non matrimonium I. non tantum 3. §. 5. ff. de bonor. posseſſ. contr. tab. Et monente Cujacio in parasit. C. b. & Obrecht. Disp. ad L. 2. C. de Resc. vend. 8. 10. vocabulum rescissionis dupliciter sumitur: Primò; vel dicitur aliquid rescindi ipso jure ut in I. hoc modo 64. §. 1. ff. de condit. & demonstr. I. cum hereditas 5. §. 2. ff. qui & à quib. man. vel secundò officio magistratus extraordinario per restitutionem in integrum; aut beneficio actionis judicisque sententia: quæ postrema significatio ad propositum nostrum maximè pertinet; & de illa rescissione in L. 2. C. de Rescind. vend. fundata hoc loco sumus aeturi.

I. I.

Sciendum autem est venditionis rescissionem variis ex causis accidere. Vel enim venditio rescinditur ratione rerum venditarum: ut fit in rebus Ecclesiasticis, quæ alienari prohibentur Nov. 7. c. 1. nisi evidens requirat necessitas aut utilitas Nov. 46. c. 1. juncto c. 1. de reb. Eccles. non alienand. in 6. & in reb. sanctis §. sanctæ 10.

A 2

Venditio restituſſ.   
ratione  
T  
Rerum Venditio.

Inst.

2  
Personæ.

3  
Formæ.

4  
Accidentia.

Læsio & ultra  
dimidium justi pretii

Inst. de rer. divis. vel ratione personæ: sive sit major l. i. ff. de minor. l. ult. C. si advers. vend. sive filius familias cum patre contrahens l. 2. ff. de contrah. empt. sive magistratus cum subdito l. non licet 46. l. qui officii causa 62. ff. de contrah. empt. l. unic. C. de contract. jud. l. ult. C. de Resc. vend. Sive medicus cum ægroto l. si medicus 3. ff. de extraord. cognit. Vel ratione formæ & substantiæ: si forte appareat consensum partium non fuisse; aut in aliquo errore, versatos esse l. i. in fin. & l. in venditionibus 9. in pr. ff. de contrah. empt. l. in omnibus 57. ff. de oblig. & act. Vel ratione accidentium: puta si aut dolo factus sit contractus l. si pater i. l. si dolos. l. si voluntate 8. C. de Resc. vend. vel si vi aut metus causâ initus contractus l. i. ff. quod metus caus. l. i. l. si vi vel metu 3. l. si quis per vim 4. C. eod. Et quæ sunt ejusmodi causæ plures; de quibus videatur Mozz. de empt. & vend. col. ult. n. i. & seqq. Sichard. in repetit. ad l. nostram C. b. n. 2. & seqq. Mejer. colleg. Argent. t. 3. adb. t. n.

### III.

Sed quia illa, de qua nobis sermo est, venditionis rescissio ex nulla harum causa contingit, alia quærenda venit; quam unicam statuimus læsionem ultra dimidium justi pretii per l. 2. nostram & l. si voluntate 8. C. b. juncto c. cum dilecti & c. cum causa extr. de Empt. vend. Si quando enim quis alteri vendat rem suam, & in venditione ultra dimidium decipiatur, jure contractus rescissionem petit per d. jura. Et id ipsum bona fides requirit: hujus siquidem proprium est, si læsio dimidiam justi precii partem excedat, atque ita major in contractu conspiciatur inæqualitas quam æqualitas, contractum ad æqualitatem reducere, aut eundem rescidere d. l. 2. & l. majoribus 3. Comm. utr. jud. Facb. 2. contr.

38

contr. c. 16. Mozz. de empt. vend. col. ult. n. 9. VVes. in parat.  
ad t. de Resc. vend. n. 6. de quo plenius infra in actione.

I V.

Legem ipsam quod attinet, haud incommode  
eam cum Sichardo in duas dividimus partes; quarum  
prima continet speciem facti & decisionem; secunda  
textus verba declarat, ibi: Minus autem &c. Et dicit in  
summa: venditor ultra dimidium justi precii deceptus  
agere potest, ut rescindatur contractus, vel ut suppleatur  
justum premium; ita ut electio sit penes decipientem.  
Inde casus secundum glossam potest fangi talis: Titius  
fundum 100. valentem pro 40. vendidit: ubi cum ul-  
tra dimidium esset deceptus, contractum petit rescindi.  
Id quod fit per Imperatorum decisionem. Atque ut cla-  
rius id ipsum pateat, ipsa legis verba addere lubet, quæ  
hæc sunt: Rem majoris pretii, si tu, vel pater tuus  
minoris distraxerit, humanum est, ut vel pre-  
mium te restituente emptoribus, fundum ve-  
nundatum recipias, autoritate Judicis interce-  
dente: vel si emptor elegerit, quod deest justo  
precio recipias. Minus autem premium esse vi-  
detur, si nec dimidia pars veri precii soluta sit.  
l. 2. C. de Resc. vend. &c. cum causa extraord. de empt.  
vend.

V.

Sed dubitari hic non immerito poterat, annon-  
potius in hoc casu pro emptore contra venditorem  
pronunciandum fuisset, eò, quod non dolo malo, sed  
bona fide contractus fuerit perfectus. Bona fides vero  
exigit, ut fiat quod convenit l. cum venderem 21. ff. locat.

A 3

Et li-

*Summa L. 2. C.  
L. resc. vend.*

*Verba Legis*



*laborer dñs 33  
causae 40  
20 iugis paff.*

¶ Edicet venditor deceptionem prætendat, nihil tamen agere videtur, siquidem contrahentibus se invicem circumvenire naturaliter licet l. in cause 16. §. pen. ff. de minor. Et quod pluris est: minoris emere, & quod minoris est, pluris vendere d. l. 16. §. pen. junct. l. Item si pretio 22. §. 3. ff. locat. Eaque, teste Mimo, utriusque contrahentis natura est, ut hic care vendere, alter vili emere velit. Imò juxta l. si voluntate 8. C. de Resc. Vend. emptor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedunt, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo, quod petierat, detrahente, emptore autem huic, quod obtulerat, addente, ad certum consentiunt pretium.

### V I.

Idque eo magis, cùm de contractu emptionis-venditionis jure perfecto altero invito nullo recedi tempore bona fides patiatur, & ne ex rescripto quidem principis; sed ut venditiones jure factæ semper ratæ maneat, seriò inculcat; idque propterea, quod nostra intersit; l. de contractu 3. l. ad rescindendam 4. l. si dolos 5. l. ratas 7. & l. si voluntate 8. C. b. Quibus ad stipulari videntur & illa, quibus asseritur, neminem in alterius injuriam suū mutare consilium posse; neque solennia facile esse immutanda; sed quæ semel placuere servanda. l. 75. l. 183. de R. J. junct. c. quod semel. 21. eod. in 6. Et l. Pomponius 9. ff. de negot. gest. Ac licet contractus ab initio sint voluntatis, ex post facto tamen fiunt necessitatis l. sicut 5. C. de Oblig. & act.

### V II.

Verum his non obstantibus Divi Imp. æquitati magis naturali fayentes laxamque veteris Juris licentiam, corr.

corrigentes etiam propter læsionem ultra dimidium venditori subvenire humanum censuerunt. *l. 2. nostra.*  
*& l. si voluntate g. C. b.* Cum enim jure naturæ æquum sit, ne quis cum alterius detimento & injuria locuple-  
tior frater. *l. nam hoc 14. ff. de condic. indeb. l. jure naturæ 206.*  
*ff. de R. J.* Et in omnibus rebus modus esse debeat ac-  
certi finis, æquum quoque ac humanum Sacratissimi  
Impp. duxere, ut tam immodicæ læsioni præallegatis ll.  
permissæ via præcluderetur, & certis limitibus inclusa  
ad dimidium usque coangustaretur. Unde cum vendi-  
tor ultra dimidium justi pretii hic se deceptum fuerit  
conquestus, desiderium ejus, quo contractum rescindi  
petiit, humanitatis æquitatisque ratione juvari debere,  
Eidem hac *l. nostra* rescripsérunt.

## VIII.

Hinc legis nostræ 2. constitutionem, quæ vult ne-  
tam immodica in emptione-venditione læsio valeat,  
maximam præ se ferre æquitatem videmus: cuius ut in  
omnibus, juxta *l. placuit g. C. de jud.* ita hic maximè ra-  
tio fuit habita. Licet enim deceptionem supra allegatis  
*L. L.* permissam omnino non tollat, sed eam adhuc usque  
ad dimidium permittat; propterea tamen dura, ut satis  
quidem duriter *Molin. in tractat. de commerc. n. 172.* cen-  
set, vocari non debet: tum quia consultius fuit, si ex duo-  
bus malis minus fuerit eligendum, aliquam admittere  
deceptionem *arg. l. i. ff. de usucap. & l. i. C. de concub.* quam  
periculosam contractuum & humanarum negotiationū  
inconstantiam concedere *l. res bona fide 54. ff. de contrab.*  
*empt.* tum quia nulla empto-venditio, si ob qualemcum-  
que læsionem pretii, quod semel placuit, contractum  
revocare liceret, futura esset stabilis. Inde verò, quæ  
& quan-

& quanta rerum confusio in publicæ utilitatis detrimentum sit pro manatura vel lusco perspicuum esse potest. Quocirca si modus aliquis, ad evitandam illam, quan- diximus, contractum inconstantiam, præscribendus fuit, ultra quem contractus revocare non licet, is rectè constitui debuit ex dimidia rei æstimatione. arg. d. l. 54. ff. de contr. empt. & l. nostra 2. & 8. C. h. Bart. Bald. Salic. Cyn. & alii in l. 2. b. Canonistæ in c. cum dilecti. & in c. cum causa. Extr. de empt. vend.

### I X.

Quæritur autem quibus hujus l. 2. beneficium competit? De venditore quidem nullum omnino est dubium; siquidem ipsa legis verba expressam ejus faciunt mentionem: Sed quoad emptorem res non satis videtur expedita. Sunt enim aliquot Juris interpretes, qui inter emptorem & venditorem magnam ostendere differentiam manibus pedibusque laborant: atque inde contendunt emptorem ab hujus l. beneficio excludi. Unde quoque deceptionem aliter in emptore, aliter in venditore computandam putant. Id quod in primis ex contentiosis Cujacii, negativam tenentis, & Roberti, affirmativam defendantis, disputationibus elucet. Cujac. 16. Observ. 18. Robert. 2. animad. v. 13. Et illi etiam Fab. Error. pragm. dec. 8. Error. 7. calculum addit suum. Verum cum communis Interpretum schola à parte stet affirmante, idque usu, non tamen absque ratione, in foro sit receptum; & nos, semota omni differentia communi Dd. opinione innixi non minus emptori, si ultra dimidium sit deceptus, puta si rem 10. valentem 16. emerit, quam venditori rem 10. valentem pro 4. vendentis hujus l. re- medium competere statuimus. Nam l. veteres in em- tione venditioneque appellationibus promiscuè ute- bantur

387

bantur l. veteres. 19. ff. de act. empt. vend. atque ita in con-  
stituendo aliquo jure inter emptorem & venditorem  
non distinguebant. fac. l. un. pr. C. Si serv. ext. 134. ff. de  
contrah. empt. l. 7. §. 4. ff. pro emptor. ut & ex Cicerone 3. of-  
fic. aperte vendere pro emere ponente liquet. 2. Propter  
unam eandemque correlativorum naturam; ut quic-  
quid de uno horum dicatur, id etiam de altero intelli-  
gendum veniat. Jas. in l. fin. C. de indict. vid. toll. 3. Ob  
paritatem rationis: eadem enim ratio, quæ circa ven-  
ditorem obtinet, in emptore quoque locum habet, ne  
scilicet & emptor per venditoris lucrum damnum sen-  
tit. d. l. 14. ff. de conduct. indeb. l. jure succursum 6. §. fin. ff.  
de jur. dot. l. 206. ff. de R. I. gloss. in l. 2. nostra. & in c. cum  
causa. Extr. de empt. vend. ubi communiter Dd. Quarto  
demum per argumentum l. l. C. de Cupress. Connan. com-  
ment. Iur. civ. lib. 7. c. 9. n. 10.

X.

Neque quicquam movere nos potest, quod in  
l. nostrâ mentio solum fiat venditoris. Illud enim per-  
quam usitatum in Jure nostro, præsertim tamen in Co-  
dicis LL. videmus, Imperatores consultos ad speciem-  
facti respondisse, eiique leges latae applicuisse. Id quod  
& hîc accidisse constat. Sed inde non sequitur empto-  
rem eò, quod expressa ejus non facta fuerit mentio, ab  
hoc beneficio esse exlusum: quia ratio l. nostræ est  
generalis. Ubi verò generalis est ratio, ibi & genera-  
lem esse dispositionem necesse est. Et in quibus causis  
eadem est ratio, in iis quoque idem jus est constituendū  
l. illud 32. ff. ad L. Aquil. l. in omnibus causis 68. ff. de  
R. f. Atqui in emptore eadem militat ratio, quæ in  
venditore, nempe læsio; ergò idem eidem jus competit

B

per de.



per d. jura. Nec enim remedium L. nostræ venditori co-  
meditur qua venditor, sed qua læsus est; atque ita non  
personæ sed causæ tribuitur *Donel. in d. l. 2. n. 17.* Ut ta-  
ceamus dictum L. ex humanitate promanasse: quæ hu-  
manitas, nisi quis aut ipse valdè sit inhumanus, aut sa-  
cratissimos Imp. summæ inhumanitatis arguere velit,  
emptori etiam propter relati, ut diximus, & correlati  
naturam, à nemine denegari potest. Exinde evincimus  
emptorem deterioris conditionis non esse, sed æque  
ipsi hujus L. remedium competeat ac venditori. *Gloss. in*  
*l. 2. & præalleg.*

#### XI.

Et sicuti uterque L. 2. benefici, casu sic ferente,  
compos fit; ita quoque & eodem modo alterutri con-  
tra quemlibet lædentem, si læsio ultra dimidium justi-  
pretii procetur, jure datur L. nostra 2. l. si voluntate 8.C.b.  
nulla, cum lex non distinguat, simpliciter, & absq; ulla  
limitatione pro immodicè læso contra enormiter læ-  
dentem, cujuscunque conditionis sit, loquatur, adhibita  
distinctione. Ubiunque enim æquitas postulat, læso  
subveniendum est. *l. divus 7. ff. in integr. rest. l. sed et si 26.*  
*§. 9. l. et si nihil 183. ff. de. R. I.* quia, ut præcedente thesi  
diximus, remedium non personæ, sed causæ conceditur.  
Unde quoque adversus ECCLESIAM & CLERICUM datur:  
Nam cùm ECCLESIA in simili casu idem jus statuat in a-  
lios c. cum causa *Extr. de empt. vend.* eodem vicissim uti  
debet in contrario juxta regulam quod quisque juris &c.  
*l. i. ff. quod quisque jur. Bald. in l. nostra. n. 2. & 45. Castrerf.*  
*ad d. l. 2. n. 5. Mozz. de empt. vend. col. ult. n. 20.*

#### XI. O-

## XII.

Ostendo itaque & probato hujus L. 2. remedium, æquè emptori dari ac venditori contra omnem immo-  
dicè lædentem; considerandum nunc succedit; quid  
per deceptionem, & qualem læsionem hic intelligamus.  
Deceptio namque dupliciter contingit vel ex dolo, puta  
quando quis ad contrahendum per calliditatem falla-  
ciam & dolosam persuasionem accedit, ut in l. ea vero 3.  
§. societas 3. ff. pro socio. Hartm. Pistor. 1. quest. 23. vel ex cir-  
cumventione circa pretium contractus, ut in l. in causa 16  
§. 4. ff. de minor. qua in dolus non adest juxta l. dolus 10. C.  
de Resc. vend. Deceptionis quæ ex dolo fit, hic loci nulla  
est consideratio; quippe si illa causam det contractui,  
conventionem bonæ fidei ipso jure reddit nullam, adeò  
ut deceptor eam implere non teneatur. d.l. 3. §. ult. pro  
soc. l. 3. C. de Rescind. vend. l. 2. §. 5. ff. de dol. mal. Et met. ex-  
cept. l. Et eleganter 7. ff. de dol. mal. Posterior igitur dece-  
ptio hic solum spectatur: Et illa, licet jure civili permit-  
tatur l. in causa 16. §. pen. ff. de minor. Item si pretio 22. cum  
seq. ff. locat. tamen si tanta interveniat ut dimidium justi  
pretii excedat, ac ita enormis appareat, L. nostræ locum  
facit.

## XIII.

Sed circa quas res versatur L. nostræ remedium, an  
circa immobiles tantum, an etiam propter mobiles da-  
tur? Explorati quidem Juris est in rerum immobiliis  
venditione locum illud habere, utpote quod de fundo  
nominativi & expresse L. nostra concepta legatur. Ve-  
rum num ad res quoque mobiles hoc beneficium sit ex-  
tendendum Cujacius & alii valde controversum red-  
dunt. Nos communi Dd. via incidentes cum Roberto

2. animadvers. 22. & aliis affirmativam tenemus. Idque propterea quod lex nostra mentionem faciat rei : cuius appellatio afferente *Vult.* in *Inst. de rer. divis.* n. 4. ita generalis est, ut eâ res quævis , tâm mobilis quâm immobilis intelligatur. Nec quicquam obstat quod fundus expresse nominatur; quam ob causam enim hoc factum sit, thesi 20. demonstravimus. Nec illi sibi ipsis constant, ac proinde quorundam incurunt offensam ; qui non nisi de fundo L. nostram accipientes , alibi tamen ad res pretiosas mobiles eandem inducunt. Atque cum non tâm rei, quâm læsionis circa eam contingentis consideratio maximè hîc habeatur ; & illa æquè in re mobilis esse possit, ac in immobili; non videmus qua ratione L. nostræ remedium in rei mobilis venditione ultra diuidium læso sit denegendum. *fac. gloss.* & *Bart. ad b. l. 2.* & *ad l. pretia rerum ff. ad l. falcid.*

XIV.

Cæterum L. nostræ commodum ita restringi nolumus, ut solum in emptione - venditione illi locum assignemus , sed & aliis tribuimus contractibus. Nam licet hujus L. beneficium in emptionis-venditionis contractu expressè introductum appareat; ad alios tamen bona fidei contractus emptioni - venditioni similes & affines quoque extendi posse communis Dd. opinio est, cui & nos subscribimus, moti *l. in contractibus 3. C. quib. ex cauf. major. l. majoribus 3. C. eomm. utr. jud.* & *gloss. in l. nostra. 2. & Bart. 3. quest.* Unde, quia & Locatio-conductio hujus farinæ censetur, in illa, quippe quod emptioni-venditioni non solum est proxima, sed & iisdem ferè Juris regulis consistit; atque inde illi per quam similis, merito L. nostræ remedium obtinere dicendum. Nam sicut

emptio-

389

emptio-venditio ita contrahitur, si de pretio conveniet; sic & locatio conductio contrahi intelligitur si de mercede, quæ pretium dicitur, convenerit. locatio 2. ff. locat. l. ult. in fin. ff. de L. Rhod. l. si quis 10. ff. de acquirend. possēt. Et sicut in emptione-venditione contrahentibus licet se invicem decipere; ita quoque in locatione conductione circumvenire fas est. l. 16. §. pen. ff. de minor. l. 22. §. ult. cum l. seq ff. locat. Cui & hoc accedit quod locatio quasi venditio sit, & locator fundum locando nihil aliud faciat, quam fructus vendat; unde & locator vendor & conductor emptor vocatur l. in lege 29. ff. locat. Cum itaque eadem in locatione-conductione sit ratio, quæ in emptione venditione, idem etiam jus constitendum erit. l. illud 32. ff. ad L. Aquil. l. in omnibus causis 68. ff. de R. J. & consequenter non secus ac infundita & in fructum venditione L. nostra 2. scilicet ut immo- dicè laeso succurratur, per d. jura procedit. juncta l. si merces 25. §. vis major 6. ff. locat. l. si olei 21. Cod. eod. Connan. Comment. jur. civ. l. 7. c. 9. n. 10. Roman. consil. 423. Pinell. part. 1. c. 3. n. 18. Mozz. de empt. vend. col. ult. n. 18.

#### XV.

Simili ratione L. nostræ remedium etiam ad permutationem accommodari posse statuimus: siquidem haud incogniti juris est & illam emptione-venditioni vicinam esse; & vicem ejus obtainere. l. Aristo 2. ff. de rer. permut. l. permutationem 2. C. eod. Unde ex rationis identitate, cum unus ultra dimidium laedi, & alter cum alterius jactura locupletari non aliter ac in emptione-venditione possit, idem etiam jus in permutatione statuendum arg. l. à Titio 108. ff. de V. O. d. l. illud ff. ad L. Aquil. Nec inficias ire quis potest, quin eadem humanitas, quæ

*læsionem in emptione - venditione non admittit. Sed æqualitatem requirit L. nostra 2. h. juncta l. majorib. 3. comm. utr. jud. in permutatione quoque propter utrobi- que prohibitæ læsionis & præceptæ æqualitatis rationem obtineat. Bald. in l. nostra. quest. 3. Castrenſ. Immol. & Abb. in c. cum dilecti Extr. de empt. vend. Mozz. de locet. n.*

*XVI.*

*Idem quod de locatione & permutatione asserui- mus, & de divisionis contractu, cum & ille bona fidei sit §. actionum Inst. de act. & emptionis vicem obtineat. l. i. commun. utr. jud. beneficium L. nostræ, si forte divisio perperam, ut inde enormis læsio promanet, facta sit, ei- dem tribuendo merito statuendum putamus. l. majori- bus 3. d. t. Idque verum quoque esse censemus in divi- sione, quæ sorte fieri solet; cum eadem, quæ in superio- ri subsit ratio. Rimin. Iun. ad tit. Inst. quibus alienar. lic. & c. n. 142. Bald. & Castrenſ. in l. 3. C. comm. utr. jud. & alii, quos citat & sequitur Moll. lib. 2. Semestr. cap. 28. n. 1.*

*XVII.*

*Et hoc usque quibus L. nostræ beneficium compe- tat, circa quas res versetur, tum ad quos possit adaptari contractus alios; nec non quantum utilitatis secum trahat, breviter declaravimus. Nunc demum videre & explicare mens est, in quibus illud locum non ha- beat. Et primò quidem quæritur, an, si venditor rei suæ valorem sciverit, & nihilominus minoris vendiderit, ita ut ultra dimidium si læsum conquareatur, an, inquitimus, hujus L. remedio gaudere possit? Nos negamus, idque lex sequentibus rationibus: i. quia volenti & scienti non fit injuria neque dolus. l. i. §. 5. ff. de injur. l. nemo 145. ff. deo*

de R. J. l. cum donationis 34. C. de Transact. c. scienti. de  
 R. J. in 6. Jas. in l. si quis cum aliter. col. pen. ff. de V. O. 2.  
 Quia qui sciunt, non errant, l. per errorem 15. de Jurisdic<sup>t</sup>.  
 Colligimus ergo; si talis venditor scit, non errat, si non  
 errat, læsionem quoque prætendere minimè poterit:  
 quippe quod ex errore læsio propullulet. d.l. si quis cum  
 aliter 36. ff. de V. O. Remoto itaque errore tanquam cau-  
 sa, & læsionem tanquam effectum removeri necesse est:  
 Et hac sublata, quomodo venditor h. L. remedio uti pos-  
 sit, non videmus. Quinimò & hoc accedit, quod se-  
 cundùm Baldum venditor rei pretium sciens æquipare-  
 tur renuncianti, qui juxta l. queritur 14. §. 9. ff. de ædilit.  
 edict. deceptus dici nequit, junct. l. i. in fin. ff. de contrab.  
 empt. Sed juxta eundem partim vendere, partim donare  
 censetur per l. si quis donationis 38. ff. d. t. & l. si Sponsus 5.  
 §. circa 5. ff. de donat. inter vir. & ux. Bart. in l. si quis cum  
 aliter. ff. de V. O. quest. 2. Boer. decis. 142. n. 2. & seqq. Geil. 2.  
 Observ. 29. n. 11. & ibi alleg. Pruckm. v. 1. consil. 29. n. 48. &  
 consil. 49. n. 18. & seqq. Spec. lib. 4. part. 3. de Resc. vend. n. 12.  
 Moller. 2. Semestr. c. 28. n. 2. Si ergo donat, dictum benefi-  
 cium ipsi emolumento esse non potest. l. Campanus 46.  
 ff. de oper. serv. l. donari 82. ff. de R. J. l. cuius per errorem 53.  
 eod.

### XVIII.

Hinc eo minus est ambiguendum quin idem juris  
 obtineat, si ex Instrumento super emptione-venditione  
 consecro id quod pluris est ex certa scientia & absque  
 omni errore donatum esse doceatur. text. in l. in adibus 9.  
 pr. & §. 1. ff. de donat. fac. l. i. ff. eod. & l. si sponsus 5. §. 5. ff. de  
 donat. int. vir. & ux. l. sicut 8. §. an pacisci 5. ff. quib. mod.  
 pign. solv. Bart. in l. 2. col. 4. vers. quero quid si dictum sit & c.  
 & in l. si quis cum aliter ff. de V. O. item in l. fin. §. idem qua-  
 sit.

sunt. ff. de condic. indeb. Sed cautelæ loco ut magis securi-  
simus suadet Bald. hic in 7. quest. ut appertius clariusque  
loquamur dicendo V. c. quod si res vendita plus valeat,  
ad totum sponte & ex certa scientia, nullo errore, dona-  
tum esse, sive in parva sive in magna quantitate consi-  
stat, etiam quod valde excedat dimidium justi pretii.  
Ut hic per Salic. ad fin. 8. quest. & Socin. consil. 48. lib. 4. Vel  
ut renunciationem L. nostræ in specie apponemus. Huic  
enim renunciari posse post Bart. tradunt Aritin. in d. l. si  
quis cum aliter 36. ff. d. V.O. col. pen. Dec. consil. 27. & 180. Pro-  
batur etiam l. si quis 29. in fin. C. de pact. l. queritur 14. §. 9.  
ibi: remittentibus enim actiones suas non est regressus  
dandus. ff. de Ædilit. edict. & arg. l. qui jure 7. ff. de Testam.  
milit. Ideoque Practici & tabelliones, ut semper specia-  
lem hujus L. 2. renunciationem addant, à Cagnolo in re-  
pet. ad b. l. 2. n. 132. monentur.

## XIX.

His ita probatis nullum omnino dubium fore  
putamus, quin dispositio L. nostræ 2. in emptione-ven-  
ditione juramento confirmato plane locum non ha-  
beat. Ac licet multi inveniantur, contrarium defen-  
dentes, tantum tamen abest, ut nobis illud rationibus,  
persuadeant suis, ut potius religionem juramenti paulo  
accuratius ponderantibus majorem negandi ansam  
præbeant. Neque tamen absque ratione eò audaciæ  
pervenimus; sed maximè movemur l. l. C. si advers. ven-  
dit. Ubi minor 25. annis à beneficio Juris propter jura-  
mentum corporaliter præstitum metu perjurii excludi-  
tur. Si itaque minori cui tamen jura ob ætatis atque  
inde judicii imbecillitatem mirum in modum favent.  
fac. tot. tit. ff. de rest. in integr. competens alias benefi-  
cium

cium jurejurando interposito denegatur; quis quæsto  
nostro in casu majori concederet? Ad quod etiam facit  
*Auth. Sacra menta puberum. C. d.t. quæ auth. Sacra menta*  
*puberum super contractibus rerum suarum non retrahendis sponte facta inviolabiliter vult custodiri. Pertinet quoque huc c. cum contingat 28. ubi gloss. & Canoni-*  
*stæ extr. de Jurejur. & c. quamvis de pact. in 6. vid. Moll. i.*  
*Semestr. 43. n. 6.*

## XX.

Et quemadmodum in præcedentibus L. nostræ  
remedium competere negavimus, ita negando pergi-  
mus, ac illi, propter immodicam læsionem, in emptio-  
ne-venditione, decreto Judicis & sub hastatione solen-  
ni, facta, locum dari pernegamus. Cùm enim nec im-  
moderatus venditor, nec emptor, cujuscunque conditionis sit, inveniatur injustus: sed propter Judicis decre-  
tum omnia solenniter acta præsumantur; atque ex justa  
& legitima causa illud interpositum per *Dd. in l. scien-  
dum 30. ff. de V. O. communiter censeatur*; adeò ut causæ  
cognitione præcedente immoderata venditio esse ne-  
queat: Sequitur eam ipsam sub prætextu læsionis enor-  
mis rescindi non debere. *fac. l. i. C. de præd. decur.* Cui &  
illud accedit, quod per fidem hastæ fiscalis, quæ convelli  
facilè non debet, perpetuam contractus firmitatem, &  
jus dominii perpetuum, quod neque prætextu rescripti,  
neque minoris ætatis, retractari potest, acquiramus:  
*text. in l. Si hypothecas 8. in fin. C. de remiss. pign. & l. que-  
cunque s. C. de fid. & jur. hast. fisc. junct. l. Si quis 3. C. si  
propt. publ. pensit.* Exinde facilè colligimus, & hīc L. no-  
stræ beneficium excludi.

C

Ulter-

Ulterius quæritur an etiam in permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum nostræ L. beneficium locum habeat? Calderino quidem in *Consil. 4. sub tit. de rer. permuat.* videtur quod sic: eò quod permutation, utisupradiximus, similis sit venditionis contractui. Pro qua opinione etiam facere putatur *c. ad questiones extr. de rer. permuat.* quo Pontifex rescribit; quod in permutatione rerum Ecclesiasticarum, si altera alteri præponderet, aliqua pecuniæ quantitas, quo contractus ad æqualitatem reducatur, solvi debeat. *juncto c. cum universorum extr. d. t.* Verùm cum hæc partim non simpliciter vera, partim aliter, quam ut ad præsentem quæstionem faciant, sint intelligenda; ea tanti æstimare non possumus, ut propterea à communi Dd. via recedamus. Ad Calderini enim argumentum respondemus per inficiacionem: quia licet permutation, prout supra eam consideravimus, similis sit emptioni-venditioni, quod illi facile largimur, tamen inde non sequitur, quod permutation beneficiorum quoque sit talis. Id quod sequentibus evincimus rationibus: Primò; quia permutantes hujusmodi nullum à seipsis, sed à præclaro habent titulum *c. quæsum extr. de rer. permuat.* quippe quod in ipsis manus beneficium prius resignare teneantur *c. admonet. junct. c. quod in dubiis extr. de renunciat.* atque ita sine ejus autorite, nisi beneficio privari velint, permutare non possint *fac. c. cum olim. & cum universorum extr. de rer. permuat.* Hinc *Dec. consil. 210.* tales permutationem, quod à superiore, non à factō partium *c. quæsum extr. d. t.* robur suum sumpserit, prætextu læsionis retrahi non posse consuluit. Ideò etiam propter superioris

372

rioris autoritatem omnem fraudis suspicionem remo-  
ventem c. nisi extr. de præbend. Et quia in beneficiis Ec-  
clesiasticis non auri cupiditas, sed animarum spectatur  
utilitas ac interesse d.c. quæsum extr. derer. permuat di-  
cunt Frid. de Senis, & Dni. de Rota non vitiari beneficio-  
rum permutationem, nec præsumi fraudulentam; licet  
unum beneficium majoris sit redditus, quam aliud d. Frid.  
de Senis de permuat. benefic. quæst. 40. Rota Lucens. decis. 129.  
Deinde quia L. nostra loquitur de iis rebus, quæ precio  
æstimari possunt; Id quod de beneficiis, utpote quæ abs-  
que Simoniæ vicio nec emi nec vendi valent. c. consulere.  
¶ tot. tit. extr. de Simonia. dici nequit. Alias, si quis be-  
neficium ideò permutet, ut majorem præbendam obti-  
neat, vel inde aliquam pecuniæ summam consequatur,  
non solum honestati esset contrarius; sed & simonia-  
cam proculdubio incurreret pravitatem. d. c. quæsum  
extr. derer. permuat. Cum itaque secundum Anchora-  
num in consil. 279. non lucrum aut commodum pecunia-  
rium in retractatione beneficii permutati in considera-  
tionem veniat; sed Ecclesiarum utilitas & animarum  
profectus principaliter attendatur, nostra est conclusio  
remedium L. nostræ ejusmodi permutationi minimè  
adaptari posse. Cagnol. ad l. 2. n. 57. Ad præalleg. capp. &  
quomodo illa sint accipienda, respondebimus in ipso  
Disputationis conflictu.

XXIII.

Quibus etsi plures quæstiones ad præsentem  
materiam apprimè facientes addi possent; tamen ne  
commentarium potius, quam Disputationem propone-  
re videamur, alias aliis ingenio magis & eruditione pol-

**C 2** lenti-

Tentibus relinquendas duximus.: unicam saltem hanc  
intricatam & valde controversam quæstionem; qua-  
quæritur, an L. nostræ dispositio locum etiam in Trans-  
actione inveniat; adhuc addentes. Ubi licet haud  
pauci iisque clarissimi JCti, quorum coriphæus est Bart.  
in L. nostra. n. 2. inveniantur, qui affirmativam mordi-  
cus defendant; eosque Sereniss. Elect. Aug. p. m. in const.  
34. p. 2. sequatur; nobis tamen cum multis aliis negativa  
placet. Certi enim atque indubitati Juris est, Transac-  
tionem ad finiendas lites esse comparatam l. fratr. 10.  
C. de Transact. quas neque rescripto Imperiali resusci-  
tari oportet l. causas 16. C. d. t. neque prætextu Instrumenti  
noviter reperti l. sub prætextu instrumenti 19. eod.  
Atque adeò Transactio controversiis finem imponit, ut  
instrumenta & probationes in contrarium amplius non  
subsistant, sed ipso Jure irrita fiant & caduca; etiam si  
hoc inter transigentes actum non sit. textus est. notab. in  
c. 1. extr. de transact. Bald. super rubr. n. 7. Jas. in d. l. fratr.  
C. de transact. Ex quo L. nostræ remedium hic non dari  
manifestum evadit. Cui accedit quod transactio non  
minorem habeat vim quam res judicata l. non minorem  
20. C. d. t. Quanta autem vis sit rei judicatae, & quod illa  
sub hujus vel illius prætextu restaurari non debeat. ex l.  
res judicatae 2. & l. sub specie 4. C. de re judic. & tot. tit. C.  
sentent. rescind. non posse. videre est. Porro & illud senten-  
tiam nostram confirmat, quod transactio juramento æ-  
quiparetur l. 2. ff. de jurejur. & l. post rem judicatam 56. ff.  
de re judic. Sed juramentum retractari non posse, supra  
demonstravimus. Et fac. l. non erit 5. §. dato 2. ff. de jurejur.  
junct. l. nam posteaquam 9. ff. eod. Denique transactio-  
nem prætextu læsionis ultra dimidiū justi pretii rescindi-  
non

non posse tenet. Bald. in d. l. 2. n. 3. dicens opinionem Bartoli truffam esse & erroneam; & hoc per l. Lucius 78. §. fin. ff. ad SC. Trebell. Ubi in quadruplum læsus, si transactum sit, restitui prohibetur. Et hanc opinionem tanquam veriorem aliquoties Cameram decidendo fuisse secutam annotavit Geil. 2. Observ. 70. n. 11. Cagnol. & ibi al. teg. ad L. nostram n. 73. & seqq. Connan. comment. jur. civ. lib. 7. c. 9. n. 13.

## XXIII.

His ita breviter demonstratis, videndum nunc restat, qua actione ad rescindendam emptionem - venditionem ultra dimidium justi pretii læsus agere possit. Ac quamvis non levis & hic Dd. appareat discrepantia; dum nonnulli restitutionem in integrum, alii actionem ex contractu descendenter volunt; nos tamen Actio nem propter L. nostram competentem CONDICTI-  
NEM EX LEGE statuimus; idque ex sequentibus funda mentis. Nam 1. competit ei definitio condictionis ex Lege, cum per L. nostram nova obligatio sit introducta ad hoc, ut Emptor, venditorem ultra dimidium justi pretii decipiens obstrictus esse debeat ad contractus re scissionem, juxta l. un. ff. de Condict. ex Lege. Nullibi enim 2. in toto digestorum corpore, præsertim vero in tit. ff. de Rescind. vendit. cautum reperitur, quod propter læsionem circa pecuniae quantitatem, et si nimiam existem, modò illa ex dolo non proveniat, Emptio sit rescindenda. Sed potius 3. Jcti Pomponius & Ulpianus pro maxima tradidere in pretio emptionis - venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire text. in l. in cause 26. §. idem 4. ff. de minor. Et 4. Paulus Jctus hanc ipsam

C 3 regulam

*Hoc actio magis  
pertinet ad Condictio-  
nem ex Lege.*

regulam confirmat, ac aliquatenus declarat in l. Item  
si pretio. 22. §. quemadmodum 3. ff. locat. ubi ait: Quemadmodum in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit minoris emere, & quod minoris sit, pluris vendere, & ita invicem se circumscribere; ita in locationibus quoque & conductionibus idem juris est. 5. Testis est hanc in rem & *Jctus Hermogenianus* in l. & ideo. 23. ff. locat. hisce verbis: Et ideo prætextu minoris pensionis locatione factâ, si nullus dolus adversarii probari poterit, rescindi locatio non potest. Et hinc 6. juris est, quod creditor, si pignus in solutu accipiat, etiam si eo ipso maximam sentiat læsionem, à contractu tamen semel initio resilire nequeat l. à *Divo Pio* 15. §. 3. ff. de Re judic. 7. Denique probatur sententia nostra ex *Cicerone* l. 3. offic. ubi casum refert, quo aliquis in Emptione ultra dimidium justi pretii erat deceptus, & tamen decepto nullam aliam quam de dolo actionem, si ille intervernerit, competere existimat. Et hanc sententiam nostram approbant *Angel.* in l. si id quod aurum 22. ff. de V.O. & *Pinnell.* ad b. l. nostram p. i. c. i.

#### X X I V.

*Abro Sac 5/2*  
*porf. uel. 17.*

Circa quam actionem notandum est Actori, ne contra tertium possessorem eam instituat. Cum enim **CONDICTIO EX LEGE** actio sit personalis §. appellamus 15. & §. rei persequenda 17. Inst. de act. Alex. consil. 92. n. 7. lib. 1. adversus tertium possessorem non datur per tex. in l. fin. §. fin. ff. de contrab. empt. & arg. l. eris 15. C. de donat. Sic, si ego tibi fundum vendidi minus dimidio justi pretii, & tu eum vendidisti Titio, non datur mihi actio pro rescissione contractus contra Titum, ut restitutionem illius

illius fundi, vel supplementum justi pretii consequar.  
 Cyn. ad L. nostram. n. 2. Alex. d. consil. n. 8. Nisi, quemadmodum à Dd. ita limitatum videmus, eo casu quando tertius possessor illum fundum cum titulo eodem læsionis vitio laborante detineat, & primus solvendo non sit. Tunc enim L. nostræ retmedium ex æquitate in subsidiū utiliter dari statuunt. arg. l. planè 94. §. qui rogatus ff. de leg. i. l. si res 12. §. si mulier. ff. de jur. dot. Bald. & Salic. in L. nostra. Covarr. 2. resol. c. 3. n. ult. Gomez. 2. resol. c. 4. n. ult. Pinell. p. 2. c. 1. n. 10. & seq.

*Gepe.*

### XXV.

Quæritur autem cùm CONDICTIONEM EX LEGE hic institui debere statuamus, quam diu illa duret? Qui restitutionem in integrum hic locum habere afferunt, quadriennio eam finiri ajunt per l. ult. C. de tempor. in integr. rest. Sed nos rejecta hic illa actione & tempus illud quadriennii rejicimus, & dictam nostram actionem 30. annos durare concludimus. Cùm enim actio hæc per nostram L. 2. ab Imperatoribus sit introducta, merito illa inter actiones perpetuas erit referenda: siquidem actiones à lege vel SCto proficiscentes perpetuæ vocari solent pr. Inst. de perpet. & tempor. ait. quæ tamen perpetuitas ad 30. annos hodierno Justiniani jure est redacta. l. sicut in rem 3. & t. t. C. de prescript. 30. vel 40. annor. vid. gloss. & Dd. in c. cum causa extr. de Empt.

*Ad ius L. 2.  
et perpetua.*

### XXVI.

Inde quoad practicam libellum formari posse talēm putamus: P. p. Ago Sejus contra Titium, cui ante biennium fundum meum Solidis vendidi 400. cujus tamen

*Forma libelli.  
in fo L. 2. C.  
f. report. ad.*

amen pretium tempore contractus, quod ego ignoravi,  
nongentorum fuit: Cum itaque ultra dimidium justi  
pretii me deceptum deprehendam, vestram opem im-  
ploro submissè petens, ut per sententiam vestram di-  
ctum Titium accepto rursus pretio aut ad restituendum  
fundum, aut si ipsi placuerit, ad suplendum id quod ju-  
sto pretio deest, compellatis.

*Socq. libell. II*  
*Socq. & non*  
*recte gloster.*

Ubi requiritur ut Actor primò se referat ad tem-  
pus contractus, dicens rem venditam tunc temporis  
tantum valuisse; & hoc omnino necessarium, alias si de  
præsenti conciperetur, nihil concluderet; sed esset ine-  
ptus libellus tanquam non formatus secundum dispo-  
sitionem legis: ut l. i. §. 1. si mens. fals. mod. dix. Id quod  
expressè probatur per l. si voluntate 8. C. de Resc. vend. l.  
non intelligetur 3. §. divi fratres ff. de jur. fisc. Deinde  
ut dicat probetque se læsum ultra dimidium justi pretii.  
fac. L. nostra. junct. d. l. si voluntate 8. C. b. ubi Bald. in 12.  
quest. Abb. in c. cum causa. n. 3. extr. de Empt. vend. Jas. in  
l. et si post tres. 10. ff. si quiscaut. Alex. consil. 109. n. 14. & 15.  
lib. 4. Nam si quis in contractu decipiatur intra dimi-  
dium justi pretii, absque tamen dolo adversarii, contra-  
ctus manet ratus & non potest rescindi d. l. si voluntate  
8. l. quisquis 15. C. b. quia, ut supra diximus, contrahen-  
ribus se invicem decipere licet. d. l. in cause 16. §. 4. ff. de  
minor. L. nostra. & d. l. 8. C. b.

## XXVII.

Ac quia hinc constat, eum, qui ex remedio L. nostra  
contractum vult rescindi, probare cogi, se ultra dimi-  
dium justi pretii esse læsum; videndum quoque est, quo  
modo læsionis probatio sit instituenda. Antequam vero  
ad hujus

378

ad hujus declarationem deveniamus, dicendum prius  
erit, quomodo justum pretiuū sit accipiendum. Et re-  
jecta nonnullorum inter verum & justum pretium di-  
stinctione, dicimus id justum pretium, quod ex com-  
muni hominum opinione aestimatur. *l. pretia rerum* 63.  
*ff. ad L. Falcid. l. si servum 33. ad L. Aquil. gloss. in nostr. L.*  
*vers. sed qualiter. Bart. in d.l. 2. col. 4. vers. i. & hoc pretium*  
*à vero pretio nihil differre credimus. Quod enim L.no-*  
*stra primum vocat justum, idem mox nominat verum,*  
*ut sc. intelligeremus, quantum hunc tractatum attinet,*  
*nihil inter duo illa interesse. Unde videmus & in usu*  
*juris non raro justum pretium appellari verum: ut in,*  
*l. si fundus §. fin. de pignor. l. si res. §. i. de jur. dot.*

### XVIII.

Nunc videamus, qua ratione dictum pretium sit  
probandum ut Judici de læsione verè constet. *Bart. &*  
*Bald. statuunt Judicem debere cogere partes, ut aliquot*  
*eliant arbitros, qui rem ex præsenti tempore allegatae*  
*læsionis, ceu de quo præsumptio fiat ad præteritum, æ-*  
*stiment: Sed quia pretia rerum mutantur, præsumptio*  
*hæc locum habere non potest.* Quoocirca statuimus  
cum Pinello & aliis justi pretii estimationem regulari-  
ter per testes esse faciendam; adhibitis tamen glossæ  
requisitis, ut scilicet Index per illos inquirat, quænam,  
pro rei qualitate, item redditum quantitate, & condi-  
tione locorum ex communi hominum opinione tem-  
pore contractus fuerit rerum estimatio; atque ita ju-  
stura seu verum pretium constituat per d.l. pretia rerum.  
*ff. ad L. Falcid. l. si quos. C. de Resc. vend. & d.l. si voluntate.*  
*C. eod. Cravett. consil. 11. n 17. Surd. consil. 52. n. 49. & seqq.*

D

(XVIII.)

Jas. prædictu observans

Jaf. consil. 54. col. pen. vol. I. Pruckman. consil. 49. vol. I. n. 90.  
cum seq.

XXIX.

Allegata autem & probata hac ultra dimidium  
læsione non tenetur Actor probare se valorem rei i-  
gnorasse: quia pro ipso est præsumptio Juris. Jam  
certum est præsumptionem Juris eum, pro quò militat  
ab onere probandi relevare, & onus probandi in adver-  
sarum transferre. arg. l. sive possidetis 16. ibi gloss. & Dd.  
C. de probat. Et licet quilibet valorem rei suæ scire præ-  
sumatur. per. l. quisquis. C. de Resc. vend. Ideoque vi-  
debatur dicendum, eum, qui vendidit rem pro 40. quæ  
100. valet, præsumi voluisse danare quanto minoris  
vendidit: attamen prædicta regula d. l. quisquis. non  
procedit eo casu, quando quis in contractu ultra dimi-  
dium justi pretii læditur. Tunc enim in dubio læsus  
præsumitur valorem rei suæ ignorasse, & per conse-  
quens ei datur commodum L. nostræ ad rescindendum  
illum contractum. gloss. & Bart. in d. l. quisquis. Bald. in  
L. nostra. n. 9. C. b. Alex. consil. 1. n. 1. lib. 6. Abb. in c. cum  
causa. n. 4. extr. de Empt. vend. Schurff. consil. 28. n. 1.

XXX.

Porro requiri volunt Dd. ut Actor in materia L. nostræ  
alternativè vel ad restituendam rem emptam; vel ad sup-  
plendū pretium, reum condemnari petat, iniquo pretio  
rursus oblato. Bart. in nostr. L. 2. n. 6. Bart. ib. quest. 15. Panor.  
in. c. cum causa extr. de Empt. vend. & Bald. in l. majoribus.  
C. comm. utr. jud. Sed hoc non esse de necessitate, si  
quidem secundùm Legistas & gloss. res saltem in obli-  
gatio-


876

gatione, pretium verò in facultate solvendi consistit,  
post alios tradit Pinell. ad. b.L. p.3. c.3. n.4. Et in Camera  
libelli petitionem, ubi tantum rei venditæ restitutio  
petita fuit, receptam esse annotavit. Mys. cent. 2. Obs. 43.

n. 5. Ideoque & nos alternativè & simpliciter agi  
posse statuimus per tex. L. no-  
stra 2.

## SOLI DEO GLORIA.





**ULB Halle**  
006 682 146

3



KD7



# Farbkarte #13

B.I.G.  
Centimetres  
Inches

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow



O

enda

ucc,  
simæ Facultatis  
nsi,

J. V. D.

icit  
s / Halber-

rum,  
is consuetis

XIX.

us Ritsch.

XXIV. 38

1629, 1

9

4